



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Multos spoliari, quia ipsi spoliarunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Sic Iudæ accidit, quem à Deo permissum, vt se suspenderet, nemo scandalizatur. Cum pecunia vitam dedit, qui veram vitam pro pecunia vendidit, ante ipsum Simonem Simoniacus factus, Magistri sui venditione. Quid doletis, miseri, si vobis milites abstulerunt, quod è templis & aris, quod Sacerdotibus & Monasterijs antè ipsi rapuistis? Antiquè dictum est: *Malè parata, malè dilabuntur.* Nulli fures diu manent opulenti. Dum Philippæum clepunt, talentum amittunt; nec raro, qui ærarium suum de Ecclesijs auxerunt, tota perdiderunt regna. Nemo scandalizetur, si videat diuites mendicare, qui, vt diuites essent, priùs ipsi multos mendicos fecère. Sic cum eis agitur lege talionis. Quæ in alios perpetrarunt, patiuntur. Quid conqueruntur de re, cuius exemplum fuerunt? Equum quidam è pascuis abegit, freno ephippioque carentem: frenauit, ephippio texit, mox iterum vnà cum freno ephippioque amisit. Quotidiana sunt hæc hodie apud milites. Nam ante paucos annos in vicinia nostra, nostis militem vix è pago cum equo exiisse, cui extra pagum alij duo commilitones & equum & vitam eripuerunt. Hoc lucrum fuit raptoris. Infinita sunt, quæ sine diuino vtique iudicio non contingunt. Quàm longum catalogum contexit Deus eorum malorum, quæ se immisurum minatus est legis transgressoribus? *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, & ceremonias, quas ego precipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledicta reliquia tua. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terre tua, armenta bouum tuorum, & greges ouium tuarum.* Et quæ longo ordine sequuntur. Hæc omnia locutus est nobis Deus, vt non scandalizemur, si auferat bona ad vitam necessaria: aufert enim vel vt summus omnium rerum Dominus; vel vt det benè meritis, aufert ab indignis, vt quondam ab Ægyptijs, per Israëlitas ex Ægypto discedentes; vel ne fiamus calo indigni. Beneficium hoc est, non furtum. Quod facit cum bonis nostris, facit & cum membris nostris.

Nam aufert subinde, aut crudelissimè auferri sinit iam hoc, iam illud membrum, mutilatque hominem, aut etiam penitus deartuat,

VII.

Deuter 28 15
& seqq.

VIII.